



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XXXI. S. Marcellvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

11. q. 1. c. cleri-  
cum.

\* nec laico cle-  
ricum liceat  
accus.

2. q. 7. c. laico.

In alia autem epistola, b quam vniuersis destinauit Episcopis per Orientales prouincias constitutis, monet & præcipit omnes à fratrum persecutione & litigio cessare, & vt contentiones, quæcunq; inter Christianos fuerint ortæ, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur. Constituit etiam vt maior non possit à minore iudicari, & vt Episcopus quilibet nullum possit inferre præiudicium illi Pontifici, à quo consecratus esse probatur: & si præsumptum fuerit, irritum esse, & inter Ecclesiastica statuta non esse, censendum. Item in eadem statuit, ne vllus clericus, cuiuscunque ordinis sit, absq; Pontificis sui permissione vllum ad seculari iudicium præsumat attrahere, \* nec ei laicum liceat accusare. Hic, sicut & Calixtus Papa, decreto suo firmavit, ne Imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti liceat aliquid contra mandata diuinitatis præsumere, nec quicquam quod Euangelicis, Propheticisque ac Apostolicis regulis obuiat, agere. Itaque sic intulit. *Iniustum ergo iudicium & diffinitio iniusta regis, \* vi vel iussu à iudicibus ordinata, non valet, nec quicquam, quod contra Euangelica vel Prophetica aut Apostolica doctrina constitutionem, siue sanctorum Patrum fuerit actum, stabit & quod ab infidelibus, aut hæreticis factum fuerit, omninò cassabitur.*

## XXXI.

A. CCCIV.

## S. MARCELLVS.

epist. 1.

epist. 2.

**M**ARCELLVS, natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Via lata, sedit annos 5. menses 7. dies 21. Fuit autem temporibus Maxentij & Maximiani. Comprehensus autem à Maxentio & traditus in carabulo animalibus ad seruiendum, quia dæmonibus sacrificare noluit, diu ibidem cilicio indutus, & inedia maceratus, vitam finiuit in Christo 17. Kalend. Februar. Hic ordinauit Episcopos 21. presbyteros 25. diaconos 2. Hic in epistola quam destinauit vniuersis Episcopis, Antiochenæ Ecclesiæ subditis, scribit, à sanctis Patribus inspirante Domino, constitutum esse, ne vlla Synodus præter Romanæ sedis auctoritatem possit legitimè cõuocari, in qua Episcopus super quibuslibet criminibus pulsatus debeat audiri vel iudicari, & omnia negotia Episcoporum, & summarum causarum siue cuncta dubia, Apostolicæ sedis auctoritate sunt agenda, & omnia & finiendâ comprouincialia negotia eiusdem sedis auctoritate sunt retractanda. Hęc eadē in alia epistola, b quam Maxentio Episcopo scripsit summopere seruari præcepit, & alia multa de negotijs Episcoporum in eadem posuit, quæ hîc ideò non

anno-

annotauimus, quia eadem sæpè in antecessorum suorum decretis iterando præscripsimus.

## XXXII.

## S. EVSEBIVS.

A. CCCIX.

**E**VSEBIVS, natione Græcus, ex medico, sedit annos 6. mensem. I. dies 3. Fuit autem temporibus \* Constantini. Qui 6. nonas \* Constantini Octob. migravit ad Dominum. Hic ordinavit Episcopos 4. presbyteros 13. diaconos 3. Hic tres epistolas decretales fecit, & in illa \* quam vniuersis Episcopis per Campaniam & Tusciam constitutis scripsit, sollempniter celebrari præcepit festum inuentionis S. Crucis, quæ suis temporibus 5. nonas Maij inuenta est. Similiter in eadem præcepit, omnes hæreticos ad conuersionem venientes, si in fide S. Trinitatis baptizati essent, per manus impositionem esse reconciliandos, & hoc sacramentum, videlicet, manus impositionis, nec debere, nec fieri posse ab aliis, quàm ab Episcopis dixit, & aliter præsumptum irritum & vacuum habendum, nec inter Ecclesiastica iura reputandum.

\* epist. 3.

De conf. d. 3. c. crucis.

De conf. dist. 5. c. manus.

In illa verò epistola, <sup>b</sup> quam Gallicanis Episcopis destinavit, <sup>b</sup> & de hæreticorum susceptione idem seruari mandavit, & ab accusationib. clericorū & Episcoporū infames, & ceteros quos antecessores sui remouēdos sæpè præscriperāt, & ipse remouit, dicēs. *Qui eorum castitatem & gravitatem imitari nolunt, nec eos impetere possunt.*

\* epist. 2.

Illam autē, <sup>c</sup> quā direxit Episcopis per Alexandriā & Ægyptum constitutis prohibuit, ne oves pastorem suum reprehendant, nec vllatenus accusent, nisi à recta fide exorbitauerint, quia pastorum facta quanquam rectè reprehendenda videantur, subditorum tamen gladio ferienda non sunt. Et de expulsis aut exspoliatis in eadem subintulit, ita dicens. *Quos sciatis, nec ad Synodum prouincialem, nec ad generalem posse conuocari, nec in aliquo diiudicari, antequam cuncta, quæ eis ablata sunt, legibus potestati eorum redintegrentur, & postmodum non sub angusti temporis spacio, sed tantum temporis spaciū eis indulgeatur, quantum exspoliati vel expulsi esse videntur, antequam ad Synodum conuocentur. & ab omnibus suæ prouinciæ Episcopis quisq; audiatur: nam nec conuocari ad causam, nec iudicari potest expoliatus vel expulsus, quoniam non est priuilegium, quo exspoliari possit iam nudatus. Vnde & antiquitus decretum est, omnes possessiones, & omnia sibi sublata, atq; fructus cūctos ante litis contestationem perceptor vel Primas possessori restituat. Et alibi scriptum habetur, ille qui violentiam pertulit, vniuersa in statu, quo fuerant, recipiat, & quæ possidet*

\* epist. 2.

2. q. 2. c. in scripturis.

3. q. 2. c. prius.

2. q. 2. c. nullus

E det